

1867

C O D I C E S

1868

nullo tempore defuisse, qui Sodalitii sui gloriae plus quam studiosi etiam alienos modo, quo possent, sibi adsciscerent. Ceterum Exemplar nostrum *Pars II.* est Sermo de Tempore. *Pars III.* Sermones de Sanctis habet.

Postrema 3. Folia nobis occupat *Planctus lamentabilis et deuotus beate marie magdalene ad christum.* Nempe in Evangelium: *Maria stabat ad monumentum foris plorans &c. Omelia Origenis.* Initium: *De presenti locuturus solemnitate auribus vestre caritatis dilectissimi, amor in memoriam venit, quo beata maria magdalena dominum nostrum iesum christum super omnia diligendo &c.* Inter X. Homilias in *Diversos*, quae in latinis *Origenis* Editionibus feruntur, postrema est. *Huetius* in *Append. L. III. Origenianor. n. 5.* Autorem latinum suspicatur; nec falsus est, ita nihil *Origenis*, ne graecum quidem sapit. Extrema nobis truncata sunt.

DCCLXXVIII.

R. 2053 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Pagg. 278. 8. currente calamo exaratus, rubricisque distinctus varia complectitur, et hoc quidem ordine: I. *Incipit flos sermonum per nouum Opus.* Parcum omnino membranae fuisse oportet Librarium, qui non contentus paginas implere Sermonibus, alios insuper per tres paginarum margines circumduxit. Ita Sermo I. in medio incipit: *Prope est ut ueniat tempus eius. Hodie in sancta eccle-*

sia magnum celebratur festum &c. Sermo vero I. in margine: *Cum appropinquasset iesus ierusalem &c. Istud in tres partes diuiditur. In prima parte dicitur quod dominus ierusalem intrans &c.* Mox fol. 2. *Incipiunt Sermones Gwilhelmi Verum* cuius? Non *Peraldi*, ut docuit collatio. Fortassis *Afinghemensis*, cuius *Tritbemius n. 528.* meminit. Occupantur vero circa Dominicas et Festa SS. per annum, et desinunt in *Sermone de Corpore Domini*, qui est LVII. *Opusculum Thomae Aquin.* incipiens: *Immensa divinae largitatis beneficia &c.* et in geminos *de S. Trinitate*, quorum priorem *Augustino* inscripsit Librarius ordientem: *Omnis scriptura ueteris ac noui testamenti diuinitus inspirata si catholice intelligitur &c.* quo exordio *Augustinum* usum esse non reperio.

II. pag. 189. *Legenda sancti seruacii.* Initium: *Erant in diebus illis iudeorum in partibus due sorores sanctissima Anna et Esmeria. Anna ut notum est peperit virginem Mariam &c.* Ex *Esmeria* natam *Elisabeth* matrem *Johannis Bapt.* et *Eliud* fabulatur *Noster*, *Eliud* vero habuisse filium *Emiu*, qui postquam migrasset in *Armeniam*, e conjugate *Memelia* sustulerit filium *Servatium.* *E Jucundi Presb. Actis* compilata est, ut videtur, haec *Legenda*, de quibus dixi *Vol. I. P. 2. col. 2296.*

III. pag. 194. *De sancto Floriano.* Martyris hujus *Laureacensis* ad *Anasum Vitam* autore uetusto

1869

H O M I L E T I C I.

1870

tufto Anonymo primus e Cod. S. *Emmerammi* protulit *Hier. Pezius* O. S. B. *Scriptor. Rer. Austr.* T. I. col. 36. Dubites, an praefens nostra ex illa aliquantum aucta; an illa e nostra contracta fuerit. Elocutio enim passim eadem est, augmentum vero nostrum ut plurimum in Profopopoejis consistit. Praeterea nobis *Florianus* ad *ceciam ciuitatem* habitasse dicitur, quae in altera a *Pezio* producta *Vita Zaizzelmauer* adpellatur; Mulierem, quae Martyris corpus sepelivit, Nostra, ut ista, *Valeriam* vocat; denique sola inter Aegrotos ad tumulum fanatos diferte *febricitantes* designat.

IV. pag. 199. ἀκεφάλως sequuntur *Sermones de Sanctis*, ut praenotatur, e *Contracto*, et quidem a Festo *Gregorii M. seu Martio* ad *Simonis et Judae* App. seu *Ogobrem*. *Contracti Sermones* indicavi *Vol. I. P. 1. col. 1196.* et *Vol. II.* ut *Index* docet.

DCCLXXIX.

U. 149 Codex chartaceus lat. Sec. partim XIV. partim XV. Folior. 227. f. per duas columnas, et priore quidem parte nitide exaratus, rubricis distinctus, et, ut loquitur *Theca anterior*, *Collegio Ducali e testamento cujusdam presbiteri* oblatum per *Egregium patrem Magistrum Paulum de melleco*, qui a. 1479. decessit, sequentia complectitur: I. *Moralia*, seu *Moralitates super Lucam*. Ita quidem Inscriptio, sed clarius ad calcem fol. 54. ante Indicem: *Colla-*

ciones que precedunt sunt predicabiles sub scriptis Dominicis et feriatis diebus per totum annum &c. et post Indicem: *Expliciunt collationes luce bone per fratrem nicolaum ordinis predicatorum compilate.* Et reipsa singulae hae *Collationes* per decursum *Sermones* inscribuntur et ad numerum LXXXIII. ascendunt. Primus incipit: *Ave Maria. Vbi est aduertendum quod hoc nomen habet quinque literas, ad denotandum, quod ipsa per quinque dominas veteris testamenti, quarum nomina incipiunt ab aliqua istarum literarum figuratur.* Dominae porro istae sunt *Michol, Abigail, Rachel, Judith* et *Abisag*. Sermo ultimus finit: *dabant sibi vires plures, quam prius habuerat.* Jam vero quis inter plures *Nicolaos* homiletas, quos offerunt Bibliothecarii *Dominicani*, hic noster? Ego in *Nicolaum* five *Nicolucium*, quod non, ut illi coniectabunt, contractum e *Nicolao* et *Lucio*, sed diminutivum *Italis* frequens, ut ab *Hugone Hugucius*, ab *Antonio Antoninus* est, ab *Asculo* vel *Esculo*, qui circa annum 1330. scripsit, propendeo, motus maxime, quod illis testibus T. I. p. 566. *Sermones etiam de Mortuis* reliquit. Nam in praesenti *Codice* ab eadem manu.

II. fol. 54. *Incipiunt sermones fratris Nicolai ordinis fratrum predicatorum compilati de mortuis per totum annum secundum cursum Dominicarum*, et quidem a *Dominica prima in aduentu*, cujus Sermo ita orditur: *Soluite et adducite mihi. Matth. 21. Quia inter ce-*
tera,

F 3